

2. In omni idea (notione, conceptu) duplex esse (duplex realitas seu perfectio) considerandum est : unum formale seu „*proprium*, quatenus est operatio mentis; alterum objectivum sive *vicarium*, quatenus est imago rei cogitatae, seu quatenus est vice illius. Et haec duo non tantum in omni conceptu, verum etiam in omni alia imagine, immo in omni signo accurate sunt distinguenda.

3. Utque melius distingui possint, haec notentur exempla & similia: vocabula sunt soni dum viva voce proferuntur; sunt figurae & colores dum scribuntur; utrumque voco eorum esse *proprium*: at quod haec vox hanc rem, illa illam significat & pro illa re ponitur, id appello illius esse *vicarium*. Nummus secundum esse *proprium* est argentum, aurum, cuprum &c. secundum esse *vicarium* habet talem ac tantum valorem, qualem & quantum Princeps aut Magistratus prescripsit. In proregibus, proconsulibus, legatis omnibusque omnino vicariis aliud est, quod sint homines, aliud vero, quod talem praecise relationem habeant, ut sint vice & loco regis, consulis, principis vel alterius cuiuscunque principalis. E 2 4. I-